PATERIUS · GREGORIUS I. · AUGUSTINUS
Salzburg (?), 6. Jahrzehnt 15. Jh. Seite 45r
Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8381
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek



derantibus data tractare adiunctum
est. Cum egrederetur moyses a tabernaculo surgebat universa plebs et
stabat unusquisque in ostio papilionis sui aspiciebat tergum moysi donec ingrederetur tentorium
Ingresso autem illo tabernaculum federis descendebat columna nubis
et stabat ante ostium loquebatque
cum moyse cernentibus universis quod
columna nubis staret ad ostium
tabernaculi stabat quoque ipsi et adorabat per fores tabernaculorum suorum
Hebreus populus de egyptia servitute liberatus cum loquente
deo columnam nubis cernerent unusquisque in tabernaculi sui foribus
stabat et adorabat de quibus
dicitur. Cum egrederetur moyses a tabernaculo surgebat universa
plebs et stabat unusquisque
ad ostium papilionis sui. Quid
est enim populum columnam nubis
aspicere et in tabernaculi sui foribus stare et adorare nisi quod
humana mens cum superiora illa
atque celestia ut cuique in enigmate conspicit iam claustra
habitacionis corporee per sublevatam cogitacionem excitat atque
illum humiliter adorat cuius et
per se videre substanciam non valet
iam tamen eius potenciam per illuminacionem spiritus miratur. Et cum moyses tabernaculum ingreditur eius tergum populus aspicit et in papilionum suorum ostiis consistit quia
cum sanctus quisque predicatio alta de
deo loquitur superne habitacionis

iam ut cuique tabernaculum ingreditur. Cuius predicacionis infirmi
quique et si virtute plene pensare non possunt tamen velud
tergum aspiciunt quia postrema que
prevalent per intellectum sequuntur
sed in ipsis quoque minimis quoque
capere sufficiunt iam de suis
papilionibus quasi exeunt et in
ostiis stant quia et habitacula
carnis relinquere et ad illa
eterne vite gaudia que audiuntur progredi conantur.

In libro Iob xviii. Et in capitulo
lxxv.

Cum de visione divine
essencie tractaretur
adiunctum est. Non
potes videre faciem meam. Non
enim videbit me homo et vivet
Hinc dominice sententie quod ad
moysen dicitur. Non enim videbit
me homo et vivet Iohannem
audi concordantem. Deum nemo
vidit unquam. Sed cum veteris testamenti patres intuerentur multos
horum teste ipsa sacre lectionis
hystoria deum vidisse
cognoscitur. Vidit quippe Iacob
deum qui ait Vidi dominum facie ad faciem et salva facta
est anima mea. Vidit moyses dominum de quo scriptum est
Loquebatur dominus ad moysen
facie ad faciem sicut loqui
solet homo ad amicum suum. Vidit
Iob dominum qui dicit auditu
auris audivi te domine nunc autem

Non potes videre faciem meam non enim videbit me homo et vivet